



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Theologiæ Moralis**

**Moure, Antonio Fernandes de**

**Coloniæ Agrippinæ**

Tractatus Brevis De modo, quo gerere se debet Sacerdos cum agonizante,  
seu moribundo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40934**

3. An doleat generaliter de offensis in custodia quinque sensuum, trium potentiarum, operum misericordiarum?
4. De ingratitude in reddendis gratijs pro beneficijs, reincidendo in peccata. De periculo peccandi, cui sæpè se exposuit: de dubijs, quæ habuit an quid esset peccatum, & tamen operatus est cum illis.
5. Accuset se de omni alia re, in qua Deum offenderit, vel fuisset causa, vt alter offenderet.

## TRACTATUS BREVIS

De modo, quo gerere se debet Sacerdos cum agonizante, seu moribundo.

**A**D moribundum ex præscripto D. Iacobi in *sum. cano.* sub *inim.* induendus est Sacerdos: de quo immeritò quæri potest, quomodo in casu tanti momenti se gerere debeat? *Primo*, igitur curare debet in seipso cordis puritatem & innocentiam, per quam in graui necessitate proximi sit Deo gratus mediator.

*Secundo*, sinceram habere intentionem, tantumque dei zelo diuini honoris, & compassionem proximi de vita periclitantis.

*Tertio*, non necitare moras: sed statim ac vocatus est, adire infirmum, ad obuianum periculo, quod esse potest malè moriendi: quo nullum est formidabilius, cū sit summi mali, idque irreparabiliter.

*Quarto*, colloquia salutaria cum eo miscere, præsertim de Dei erga nos prouidentia, deque dilectione, qua (ex Ioan. c. 3.) ipse sic dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret, vt omnis quis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Atque, si à Medicis didicerit non esse sperandum de ipsius vita, prudenter & suauius in nomine Domini ipsum monere debet: sicut Isaias cap. 38. Ezechiam regem, his verbis: *Hac dicit Dominus: Dispose domus tua, quia tu morieris, & non uives.* Monco igitur, vt testa-

mentum condas, quum primum potes: vt à mundanis totaliter mentem transferas ad æterna, prout expedit tibi ad animæ salutem: alienum restituendo, si iniuste derineas: & iniungendo eleemosynas in subsidium pauperum, & Missas, aliaque suffragia ecclesiastica pro remedio animæ tuæ. Neque verò debet Sacerdos contentus esse, id onus committere parentibus, vel amicis, quando non caret probabilitate, quòd in ea re sint officio defuturi, timètes ei displicere, & morbi aggrauationi causã dare: quin potius in spem recuperandæ sanitatis erecturi misericorditer crudeles: cum salutare desiderium consulendi saluti animæ, in eodem infirmo reddat languidum, quod valde roboraret apprehensio mortis imminentis.

§. I.

*De ratione tranquillandi moribundum turbatum horrore mortis.*

SI contigerit infirmum turbari accepto nuntio de morte sibi imminente, tranquillandus est rationum sequentium momentis.

Prima est, quòd Deus sit absolutè Dominus vitæ nostræ: non minus quàm aliarum rerum nostrarum: ideoque illam tollens non faciat nobis iniuriam, quia tollit quod suum est. Dicatur ergo cum patiente Iob patienter: *Dominus dedit, Dominus abstulit*, seu auferre vult, *sit nomen Domini benedictum*.

Secunda est, quòd immutabili decreto ab origine mundi constitutum sit omnibus hominibus semel mori (de quo ad *Heb 9*) designato etiam die, qui terminet vitam, ne præteriri possit, iuxta illud in libro Iob, *cap. 14. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituti isti terminos, qui præteriri non poterunt*. Quia igitur nemo potest voluntati Dei resistere, necesse est conformare se ei, qui nobis vult omne bonum Pater amantissimus: nec potest malum facere infinitè bonus.

Tertia est, quòd etsi dies mortis horribilis esse solet: verè tamen melior est die natiuitatis, vt Ecclesiast. c. 7. dicitur & patet, quia natiuitas dat initium innumeris miserijs, prout cõstat experientia, & per illud libri Iob, loco citato: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs*: dies verò mortis finem ijsdem imponit,

\*\*\* 5

iuxta

iuxta illud Apoc. 1. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Et illud in seq. cap. 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & iam non erit amplius neq; luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.*

*Quarta ratio est, quòd nulle mori, perinde stultum fit ac nolle de numero hominum, quorum nullus eximitur à lege moriendi, quantumcunque potens & sanctus: nulli Monarcharum aut Sanctorum, Deo quantumvis amantissimorum (ne quidem Sanctus Sanctorum Christus, nec beatissima ipsius Mater) exempti sunt. Et verendum est, ne lenitate restituta, quæ nunc adsunt adiumenta bene moriendi, postea mors subita habere non permittat. Propterea debemus nos totos diuinæ providentiæ committere.*

*Quinta ratio, leniendis doloribus mortis accommodata ista est: Prudentiæ esse (prout dici solet) de necessitate facere virtutem: sicut faciemus, si dolores prædictos patienter feramus amore Christi, qui passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius, Pet. 2. Ad quod iuuabit mentis oculis intueri Christum ipsum cruce onustum, properantem ad mortis supplicium valde crudele; & ponderare quod ab eo dictum est Matt. 10. *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum. Sufficit discipulo, si sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius.**

*Sexta ratio est, quòd sacræ paginæ de tribulationibus mentionem faciant, ut de bonis in magno pretio habendis. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* In posteriori ad Cor. c. 4. *Quod in presenti seculo momentaneum est tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriæ, quæ reuelabitur in nobis.* Et ad Hebr. 12. *Quem diligit Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tanquam filiis offert se vobis Deus. Quis enim filius quem non corripit pater?* Addi potest pœnas vitæ futuræ esse grauissimas, & sine merito: redimi autem per tribulationes vitæ præsentis longè leuiore, & meritorias ex magna Dei erga nos misericordia.*

De virtutibus ad quarum exercitium Sacerdos debet excitare,  
& iuuare moribundum. Ac primum de resignatione.

Sunt aliquot virtutes, quarum exercitium ad iustificationem peccatoris conducit, in quo consultum est moribundū vacare; cum ex Ecclesiastæ c. 9. nesciat homo, vtrum amore, an odio dignus sit: & quia aduersus illud Dæmon soleat suas tentationes adornare. Ille autem virtutes sunt, Resignatio in Dei voluntate, pœnitentia, fides, spes, charitas & oratio. Exercendæ verò sunt (sicut notauit P. Ludou. Pontanus de perfect. Relig. tra. 1. s. c. ult.) per actus obedientiæ, & patientiæ; per oblationes, & desideria; per petitiones, & gratiarum actiones. Iam tale exercitium Sacerdos exequetur nomine infirmi, verba ipsius, si non possit linguâ, saltem mente sequentis.

Quod attinet ad resignationem in voluntate Dei, ea per modum obedientiæ & patientiæ sic exercetur: Siue viuendum sit, siue moriendum, *Paratum cor meum Deus, paratiū cor meum. Non mea, sed tua voluntas fiat.* Per modum desiderij & petitionis, sic, *Vtinam dirigantur via mea ad custodiendas iustificationes tuas, vt à me fiat voluntas tua in terra, sicut à sanctis Angelis fit in cœlo.* Pero, Domine Iesu, per tuam sublimem resignationem in voluntate Patris, vt mihi contingat sic pendere à tua voluntate, vt verè dicam cum Apostolo: *Mibi viuere Christus est, & mori lucrum.* Per modum oblationis, sic: Pater æterne, Filij tui sacratissimâ passionem tibi offero, vt digneris mihi largiri donum patientiæ in hac mea tribulatione. Per modum actionis gratiarum: Benedico te Deus meus, ac gratias ago pro doloribus, quos sentio, cum valeant ad promerendam salutem æternam, tolerati patienter amore tui.

§. 3. De exercitio pœnitentiæ.

Quod attinet ad pœnitentiã, commendabilis reddenda est moribundo ex eo, qd ab illius præcepto initium suæ prædicationis Dominus Iesus fecerit, Matt. 4. tribuēs ei appropinquationem regni cœlorū. Cuius præcepti obseruandi necessitatem in seq. c. 13. inculcauit, dicēs. *Nisi pœnitentiã habueritis, omnes simul peribitis.* Quare tanquã arreptâ post naufragiū tabula, debet peccator amplecti exercitium

citium

citium pœnitentiæ. Quod facere potest primo per modum obligationis, sic: Indignus ego tuo diuino conspectu, Domine Deus, fretus tamen misericordiâ tuâ infinitâ, tibi offero Christi Redemptoris nostri merita, vt illorum gratiâ dones mihi cor contritum & humiliatum: quod cum non despicias, donabis pariter opratissimam peccatorum remissionem & vitam æternam. Per modum desiderij, sic: *Quis mihi hoc tribuat* (Iudex constitute viuorum & mortuorū) *vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec perit sear furor tuus, & constituas mihi tempus in quo recorderis meis.* Per modum petitionis, sic: *Miserere mei, Domine, & salua me: quia tu solus potes facere mundum de immundo conceptum semine: Hei mihi! quia peccaui nimis in vita meas quid faciam, miser! ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus?* Per modum actionis gratiarum, sic: *Gratias tibi ago, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, quod de cœlesti pœnitentiæ dono tam liberaliter prouideris, vt quouis temporis momento, illius participes effici valeamus; te dicente, (per Ezechielem cap. 33.) Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius. Qui Angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, ex D. Petri Epist. 2. cap. 2.*

Secundum se verò pœnitentia excetur detestando propriam ingratitude commissam erga Deum peccando: Itemque dolendo cum prodigo de misero statu, in quem nos coniecerimus: & præ pudore non audiendo cum publicano in cœlum oculos tollere: ac demum cum Diuis Petro & Magdalena, imbre lacrymarum genas rigare pro tanta bonitate & maiestate offensa. Adde & firmiter proposita emendatione, implorare diuinam misericordiam per multa, quæ habentur in psalmis, præferim pœnitentialibus: vt, *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si iniquitates obseruaueris, Domine: Domine, quis sustinebit? Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus. Non auertas faciem tuam à me: & similia.*

Carc-

Cæterum si occurrat infirmus duri cordis, nec affecti ad exercitium pœnitentiæ, Sacerdos modum quemdam emolliendi illum habet in nostro tractatu de prudentia Confessarij. Ideoque hic omittitur breuitatis studio.

§. 4. De exercitio Fidei.

QVOD attinet ad fidem, sine qua impossibile est placere Deo ad Hebr. ca. 11. ea exercetur credendo, quæ symbolo Apostolorum continentur; siue illud ipsemet ager recitet, siue illud Sacerdos ei proponat per partes, præmittendo: Nonne viuere & mori vis in fide, quam ad salutem necessariam proponit sancta Romana Ecclesia: Quod si contingeret, infirmum ipsum aliquam tentationem pati circa credendas ei proponi poterit. *Primò*, talia testata esse per miracula, quæ non nisi à Deo per suam infinitam potentiam fieri potuerunt: Deum autem mendacij & falsitatis testem esse non posse. *Secundò*, quod in Christiana fide nihil vnquam, nisi sanctum & commédatione dignum deprehensum fuerit. *Tertiò*, eam prædicatam esse mundo ab hominibus integerrimæ vitæ, cum contemptu commodorum temporalium, & tolerantia tormentorum grauium, consignantibus illam sanguinis sui effusione, propriaque morte. Auditam quoque esse cum magna mutatione morum, & tantâ generositate, vt quodcunque tormentorum & mortis genus pati maluerint, quam ab ea momento temporis deficere, pleni Spiritu S. reddente illis testimonium, quod essent filij Dei, hæredes regni cælestis, persistentes in suscepra fide.

§. 5. De exercitio Spei.

QVOD attinet ad spem, consultum est illam prætorborare atque viuificare circa sua propria obiecta, quæ sunt remissio peccatorum, diuinæ gratiæ consecutio, perseverantia in eadem, & adeptio gloriæ æternæ. Ad quam viuificationem ista, præter alia, conferre possunt: Primū est, illud ad Rom. c. 8. *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit: Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui condemnet? Christus Iesus, qui mortuus est: imò qui resurrexit, qui est à dextris Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Secundum est, Christi promissio acci-*  
piendi

piendi à Deo quidquid perierimus. *Petite* (inquit Mat. 7 & Luc. 11.) *et accipietis: quare et inuenietis: pulsate et aperietur vobis.* & Ioan. 14. *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Qui promittit, fidelis est, possibilisque est apud eum omne verbum, vt merito dicendum sit: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Quoniam, confirmata est super nos misericordia tua, et veritas tua manet in aeternum, Tertium est, Dei misericordia, de qua Psal. 102. *Quomodo pater miseretur filiorum, miserus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, seu infirmitatem nostram naturalem.* Et Isaia cap. 49. *Nunquid mulier potest obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio uteri sui? et si illa obliu fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Quartum est, benigna inuitatio diuina. Ieremie c. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis: veruntamen reuertere, et suscipiam te.* Item Matth. 11. *Venite ad me (inquit Christus) omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos.* Et, *Eum qui venit ad me, non eieciam foras.* Quintum est, enormitas peccati desperationis, quâ Deo tollitur quod ei maximè proprium est, pura misereri semper & parcere: vt Ecclesia profiteretur, ipsum sic precâdo: *Deus, cui proprium est misereri semper et parcere &c.* Absit vt sectatores simus Caini & Iudæ proditoris, desperantiū de Dei misericordia, cuius magnitudo quacumque magnitudinem & multitudinem quorumcumque peccatorum infinitè superat: nulli contrito corde petenti, vltio tempore negâda, ne quidem in extremis, vt patet in S. latrone, qui cum sciret adesse sibi vitæ extremum, misericordiâ petenti à Christo promissus est Paradisus. Cauendum est autē sedulò, ne aures præbeamus sophisticis rationibus Dæmonis, quibus desperationē suadere nititur; quæ omnes enanescit erectis oculis mentis ad Christum crucifixum, qui pugnavit pro nobis, vicit pro nobis: In eo enim est salus, vita & redemptio nostra, multò magis quàm in serpente à Moyse erecto fuerit salus eorum, qui morsibus serpentis morti exposebantur. Nobis sufficiat infinita esse merita Christi, quibus nobis promeruit remissionē peccatorum, diuinam gratiam, & gloriam sempiternam. Ea autem fidelibus ad ipsum conuersis applicantur sufficienter per debitum Sacramentorum usum, quem maximè in periculo mortis commendatum esse oportet.



Iam verò spes exerceri potest per modum obedientiæ, & patientiæ, sic ex psal. 42. *Quare tristis es, anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus.* Deinde ex psal. 21. precedenti: *Quoniam tu es, qui traxisti me de ventre, spes mea, ab uteribus matris mee, in te proiectus sum ex utero: de ventre matris mee Deus meus es tu; ne discesseris à me.* Præterea ex psal. 30. *In de Domine speravi, nō confundar in æternum, in iustitiis tua libera me. Inclina ad me aurem tuam: accelera, ut eruas me. Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugij, ut salutem me facias. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus. In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.* Et alibi psal. 26. *Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum. Et psal. 12. Si ambulauero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et Iob 17. Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.*

Amplius spes per modum desiderij æternæ salutis (quæ est illius obiectum præcipuum) exercetur vsurpando illud Psal. 83. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atriis Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Quod desiderij in infirmo accendi potest commemoratione bonorum, quæ continentur adæptione æternæ gloriæ: quæ sunt, liberatio à peccato & omnimiseria, ac seruitute Diaboli: summa expletio desideriorum, requies, honor, gaudium sempiternum, cum clara Dei visione & conuersatione suauis cum Angelis Sanctisque alijs; atque beatissimæ Virginis omnium Reginæ frui iucundissimo conspectu: adeoq; Christi Iesu, qui sedet ad dexteram Patris, solus Dominus & solus altissimus, quem & oculis à mortuis suscitati, visurifumus, iuxta illud Iob 19. *In carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum, & oculi mei conspiciuntur sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Quæ cum ita sint, quid restat infirmo, nisi vt spe tantorum bonorum se fulciens, audito de morte sibi imminente nuntio, cum exultatione dicat illud Psal. 121. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi in domum Domini ibimus. Dicat tamen sine presumptione, & cum corde contrito & humiliato.*

## §. 6. De exercitio Charitatis.

QVOD attinet ad charitatem; ad illius exercitium, quod est amare Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos propter Deum, inflammanda est voluntas ponderatione titulorum, quibus ad illud omni iure obligamur.

Primus est, Dei bonitas & maiestas, qua dignus est amari amore infinito. Cuius præstandi, quia capaces non sumus, finitus nobis imponitur supra omnem amorem creaturarum, seu, ut dici solet, qui sit super omnia, ita ut non modò non amplius, sed nec tantum quantum ipsum ullam creaturam amemus: ut dicere liceat cum David in Psalm. 72. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & parvulus Deus in æternum.*

Secundus titulus est, quòd Christus prior dilexerit nos, in xra illud Ioa. 15. *Nō vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Et illud in Epist. i. eiusdem Ioannis cap. 4. *Nos ergo diligamus Deū, quoniam Deus prior dilexit nos.* Quam, quæso, indignum esset tantum amatorem non redamare ex toto corde, & tota anima, & omnibus viribus! Id igitur studeamus obtinere ab ipso Christo illā affectuosā D. Bonaventuræ oratione. *Transfige dulcissime Domine Iesu Christe, medullas & viscera animæ mee, suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere. vera, serenaq; & Apostolica sanctissima charitate; ut langueat & liqueat anima mea, solo semper amore & desiderio tui: te concupiscat & deficiat in atriâ tuâ: cupiat dissolvi, & esse tecum, &c.*

Tertius titulus est, beneficiorum à Deo acceptorum magnitudo & multitudo, tam communium, creationis, providentiæ, redemptionis iustificationis & futuræ gloriæ (quibus alia innumera continentur) quàm particularium cuiuscunq; personæ. Quis enim talē ac tantū benefactorē non amet toto affectu, ac dicat ex Psal. 102. *Benedic anima mea Dominum & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Dominum, & noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum.* Vnde cavendum est, ut in

in nos tanquam bestijs deteriores quadret illa exprobra-  
tio horrenda apud Esaiam c. 1. *Filios enutriui, & exaltavi:  
ipfi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, &  
asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, &  
populus meus non intellexit.*

Quartus titulus est, Christi passio, quâ maius amoris er-  
ga nos sui argumentum desiderari non potest, iuxta illud  
Ioa. 15. *Maiores charitatem nemo habet, ut animã suam ponat  
quis pro amicis suis. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum  
unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed  
habeat vitam aeternam: quã indignum est aliquid præ illo  
amare? Eia, bone Iesu, misericorditer mihi concede, ut a-  
more tui moriar, qui amore mei dignatus es mori. Eia  
& tu mater misericordiae, fontisq; amoris, fac ut ardeat cor  
meum in amando Christum, ut sibi complacem. Atque  
mihi viuere Christus ipse sit, & mori lucrum, imitatione  
D. Pauli, ex cap. 1. ad Philippenjes.*

Quintus titulus est, Dei in nos amoris perpetuitas; de qua  
Ieremig c. 31. *Charitate perpetua dilexi te, idè attraxi te mise-  
rans tui. Et Psal. 102. Misericordia Domini ab aeterno: & usq;  
in aeternum, super timentes eum.*

Sextus est, necessitas eiusdem amoris. Namque non nisi  
praëceptorum diuinarum obseruatione conceditur in re-  
gnum cœlorum ingressus, dicente Domino Matt. 10. *Si vis  
ad vitam ingredi, serua mandata. Atq; eorũ primũ & maxi-  
mum (ex sequenti c. 22.) est de amando Deo ex toto corde,  
ac tota anima, omnibusq; viribus. Neq; opus vllum me-  
ritorium esse potest, nisi fiat amore Dei, ex priori ad Co-  
rinth. c. 13. In spiritu humilitatis igitur, & animo contrito  
per merita sacratissimæ passionis Christi obnixè petamus  
a Deo, talis amoris inestimabile donum, per quod non iam  
viuamus nos; viuat verò in nobis Christus.*

Virgei debet infirmus, ut amoris Dei adiungat amoreni  
proximi, condonando omnibus à quibus læsus est, ac pro  
eis oret, imitatione Christi in cruce orantis pro suis cruci-  
fixoribus; & D. Stephani precantis pro lapidantibus, ne  
statuatur eis illud peccatum.

§. 7. De oratione.

Q UOD attinet ad orationem, illius exercitium oppor-  
tunum est in primis in vltimo conflictu ineundo cū

\*\*\*

Dæmone.

Dæmone. Atque si infirmus vsum eius habet familiare, non est in illo facillè interrumpendus per cohortationes prolixiores: sed finendus perseverare in ipsa oratione, D. Martini imitatione, qui, vt habetur in ipsius vita, oculis ac manibus in cœlum semper intèrus inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Interea ad memoriam dominicæ Passionis crux illi propouenda est veneranda & osecranda, perendo liberationem ab insidijs diaboli, verbis illis: *Per signum crucis, de inimicis nostris, libera nos Deus noster.*

Alios verò infirmos, qui ad eundem vsum sunt parum idonei, iuuare oportet exercitio orationum iaculatoriarum, quas dirigant: siue ad Deum Patrem ad hunc modum. *Pater noster, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum, &c.* ex oratione dominicæ; aut sic: *Protectio noster, aspice, Deus, respice in faciem Christi tui, què pro nobis in cruce mori voluisti, vt credentes in eum non pereamus, sed habeamus vitam æternam.*

Siue ad Christum ipsum, sic: *Qui in pretium redemptionis nostræ preciosum sanguinem tuum fudisti, miserere mei: Saluator mundi, perfice, quod moriendo in me coepisti opus meæ saluationis. Subueni famulo tuo, quem pretioso sanguine tuo redemisti, Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi, salua me. Sanguis Christi, inebria me. Aqua lateris Christi, laua me. Passio Christi, conforta me. O bone Iesu exaudi me. Intra tua vulnera absconde me. Ne permittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ voca me, Et iube me venire ad te, vt cum Sanctis tuis laudem te in secula seculorum. Amen.*

Siue etiam ad Spiritum sanctum, sic: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Desicit virtus mea: & ecce sponsus venit, cui debeo ire obuiam. Ne permittas me a lampadi deficere oleum tuæ gratiæ, sine qua non patebit ingressus ad cœlestis agni nuptias. Consolator optime, dulcis hospes anima, laua quod in illa est sordidum, riga quod est aridum, flecte quod est rigidum, rege quod est densum. Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium, Amen.*

Siue ad Sanctos in cœlo regnantes, peculiariter ad beatissimam Dei Matrem, sic: *Monstra te esse matrem sumat pro te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege. & hora mortis suscipe.*

*fufcipe. Eia, aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte: Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.*

Siue etiam ad proprium Angelum cuſtodem, ſic: *Angele Dei, qui meus es cuſtos, pietate ſuperna Me tibi comiſſum ſerua, defende, gubernare, Vt tecum valeam coeleſtia ſcandere regna. Itemque ad ſanctum Michaelem Archangelum, ſic cum Eccleſia in eius ſolemnitate: Veni nobis in auxilium, Prepoſite Paradifi, cui Deus tradidit animas Sanctorum, vt perducas eas in Paradifum exultationis. Sancti Dei omnes, intercedere dignamini pro noſtra omniumque ſalute.*

Cæterum, quando infirmi aded̄ creſcit infirmitas, vt nequeat, ne quidem Sacerdote dirigēte orationi incumbere, non eſt ided̄ ceſſandum: ſed oportet recitare ea, quæ in Rituali eccleſiaſtico præſcribuntur pro commendatione animæ moribundi.

Porrò tam multa in medium allata non ſunt, vt omnia omnibus indifferenter: accommodentur: ſed nonnulla his, nonnulla illis, prout Sacerdos prudenter, conſideratis circumſtantijs, imploratoque Spiritus ſancti coeleſti lumine, iudicabit cuius infirmo expedire, ad dirigendum ipſum in viam pacis, ſalutiſque æternæ.

*Monita danda moribundo ex Rituali Romano, iuſſu S. D. N. Pauli V. edito.*

**V**T firmiter credat omnes articulos fidei, & quicquid ſancta Romana Eccleſia Catholica & Apoſtolica credit & docet.

Vt ſperet Chriſtum Dominum noſtrum, pro ſua immenſa clementia ſibi fore propitiū, & merito eius ſanctiſſimæ Paſſionis, & per interceſſionē beatæ Mariæ Virginis & omnium Sanctorum, ſe vitam æternam conſecuturum.

Vt toto corde diligat, & maxime diligere cupiat Dominum Deum, ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Vt ob amorem Dei doleat ex corde, de omni offenſa qualitercunque contra Dominum & proximum commiſſa.

Vt ex corde ab amore Dei pareat omnibus, qui ſibi quoquo modo fuerint moleſti, aut inimici.

Vt ab ijs veniā poſtulet, quos aliquādo dictis, aut factis offendit.

Vt quem patitur dolorem & morbi molestiam propter Deum in pœnitentiam peccatorum suorum toleret.  
 Vt si Dominus sibi salutem corporis præstare dignabitur, proponat de cætero pro viribus suis à peccatis carere, & eius mandata seruare.

*IESV, esto mihi IESVS.*

---

**MODVS CONCIONAN-**  
 di & studendi Theologiæ, à quodam magni nominis Theologo, & concionibus scriptisque celebre, studiofis antè aliquot annos propositus.

**T**A M E T S I ad artem concionandi & docendi populum pertineat, vt futurus Concionator in arte Rhetorica diligenter exerceatur; vt docte & diuine dicat: puto tamen exiguum hoc esse in hoc artis genere, quæ etiam multi putant, hanc artem diuino instructu magis doceri, quam humano auxilio. Proindeque videtur locum habere hic, quod dicitur in definitione Rhetoris, quæ Rhetor dicitur esse vir bonus, dicendi peritus.  
 Duo ergo requiruntur in Concionatore. *Primo*, vt discat, quo pacto se habere debeat erga se; hoc est, quo pacto se gerere debeat in seipso. *Secundo*, quo pacto ad populum. Concionator enim est instrumentum, quo Deus vult ad lucrum animarum. Instrumentum autem duabus constat partibus. *Vna* pars est, quæ attingit artificem. *Altera* quæ rem ipsam, sicut etiam in instrumentis Mechanicis, verbi gratia, in securi est capulus, attingens truncum, & est acies, attingens & secans lignum. Sic in instrumentis Musicis est concavitas intus, & nervi externus, instrumentum ipsum, & manus artificis. Instrumentum non per se operatur, sed requiritur manus artificis.

Iuxta has duas partes, duo requiruntur in Concionatore